

1607

torum purpuratorum comitatu cum in divi Moysis fano sacris de more interfuisset, inde in forum, insignibus bellica virtute viris, qui tunc in urbe erant, prægredientibus, peditibus centum ac quinquaginta galeatis cum fistulis ferreis, Epirotis scloppettariis sexcentis, tormentorum libratoribus quadrungentis, quibus omnibus Julius Peregrinus, Bononiensis, Reipublicæ militum tribunus, imperabat, recta ad auream basilicam continentis sclopporum consalutatione deductus est. Ibi denuo solemni ritu magnificentissime re divina facta, eadem pompa ac strepitu per giganteam scalam in Patrum aulam, in qua Princeps in solio constitutus, utrimque Consiliarii ac Præconsultores adsidebant, ascendit; stansque paucis inquit: *Cum Senatui visum esset, difficilli-  
mo tempore maritimum sibi imperium (quæ suprema in  
Republica dignitas habetur) concredere, ei, quas vix ani-  
mus capere posset, agere gratias: cunctos industriae at-  
que ingenii nervos in gravissimo munere recte administran-  
do, ut conceptæ de se opinioni respondeat, adhibitum;  
opes, sanguinem, vitam ipsam, uti alias fecerat, pro pa-  
tria libenti atque alacri animo discrimini objecturum: ne-  
que secus præfectos aliosque præstantes cives, qui mariti-  
ma virtute excellebant (ad quos tunc versus orationem fle-  
xit) facturos; quippe qui læti vitam pro Republica devo-  
vissent. Ad hæc Donatus, Bembi oratione commotus,  
ut vix cohibere lachrymas posset, *In te vero*, inquit, *Joan-  
nes Bembe, divi Marci Procurator, ingentem spem Respu-  
blica posuit; quem semper turbulentis temporibus gravissimis  
rebus præfecit; omniaque in te vel munera vel decora,  
quæ in civem conferre Republica potest, cumulate con-  
gessit; ex tuis egregiis gestis ingentes fructus, vel ad in-  
columitatem vel ad gloriam reportavit. His ductus Sena-  
tus, bac tempestate classis imperium summa consensione ti-  
bi detulit, certo vaticinans fore, nil abs te nisi egregium  
profectum iri. Nos interim de præclara ista in patriam  
voluntate, animique alacritate tibi, vobisque, cives optimi,  
qui majorum nostrorum celos ac eximios spiritus æmulati,  
pulchrum pro patria, libertate, ac dignitate mortem op-  
petere arbitramini, gratias agimus, feliciaque omnia com-**

*Joannis  
Bembi ad  
Donatum  
Princ. ver-  
ba.*

*Leonardi  
Donati  
Princ. ad  
Bembum re-  
ponsum.*

pre-